

ut: *Quamvis sciat concionator, quòd veritas odium pariat.* (hactenus objectio sive occupatio) *Tamen propter offensionem potentum, aut hominum metum non sit ad scelera canis mutus.* (subjectio.) Rom. II. 19. *Dices ergo defracli sunt rami ut ego insererer;* (occupatio.) *Benè dicis, per infidelitatem defracli sunt. Tu autem per fidem stas,* subjectio.

(*Alii quatuor occupationis partes constituunt, quarum duæ priores sunt adversarii sive accusatoris: duæ posteriores respondentis. 1. Προτάσις Propositio sententiæ generalis, seu promissio rationis adversariæ, ut pro Arch. Quæret quispiam, quid? 2. ὑποφορὰ Objectio rationis adversariæ: ut, Illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis prodita sunt: istanc doctrina, quam tu tantopere laudibus effers, eruditi fuerunt. 3. Αντιπρότασις Opposita propositio, seu τῆς λύσεως ὑπόθεσις, refutationis promissio: ut, Difficile est hoc de omnib. confirmare, sed tamen certum est quid respondeam. 4. Ἀνυποφορὰ ἢ λήσις, Solutio, ut, Ego multos homines excellenti animo & virtute fuisse, & siæ doctrina natura ipsius habitu propè divino per seipsos moderatos & graves extitisse fateor.)*

5. Occupationi subjicitur Interrogatio: Subjectioni Dialogismus sive Ratiocinatio.

6. INTERROGATIO est, cùm quaerimus aut sciscitamus sine responsione nostra, ut, *Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?* Æneid. 4.

I

Græcè